

eos in potestatem ipsorum dederit. Deinde in eo quod hoc Israël de Deo prædicat, admonemur, quanti sit nobis faciendum, & quàm sit in eo agnoscenda fides & benignitas Dei, quando animas nostras non dat prædam dentibus impiorum. Agnoscendum nobis est, quod id iure posset, modò vellet: & cum id non facit, non esse nostræ iustitiæ, sed ipsius tribuendum fidei ac bonitati.

OBSER. *Anima nostra velut avis erepta est à laqueo aucupum.*] Obserua similitudinem. Quis autem non iudicat actum esse de auicula illa, quæ laqueo aucupis innexa & irretita tenetur, vnde seipsa nullo poterit eripere pacto. Ad eum modum eramus & nos laqueis Satanæ capti, & nodis insolubilibus irretiti, cum seruitute illius detineremur. Nunc verò beneficio seruatoris nostri erepti, agnoscamus præcedentem calamitatem, & gratiæ huius, in qua stamus, libertatem: curemusq; in posterum, vt in nullos alios seruitutis noxiæ laqueos incidamus. Iucundissimum est hoc canticum liberatis: *Anima nostra erepta est à laqueo aucupum, laqueus contritus est, & nos liberati sumus*: modò vigilemus & circumspiciamus, ne nobis ipsi laqueos seruitutis struamus. Utuntur hoc versiculo homines בלילי omnis disciplinæ expertes, vbi iugo Christi colla sua exemerunt: quasi hoc sit eripi à laqueo venantium, & contrito laqueo liberari, nulli esse disciplinæ subiectum, & quavis Ecclesiastica reformatione contempta & repressa, pro libidine carnis omnis generis nequitiae & cor & animum & corpus ad seruiendum tradere.

OBSER. *Auxilium nostrum in nomine Domine.*] Cogitemus hæc, quorum sit vox ista. Vsurpatur hic versiculus à plerisque, dum sacra quædam aggredi conantur: quibus id optarim ex animo, vt tales essent, & eiusmodi sacra celebrarent, vt quod populus fidelium verè, & per experientiam, magnis periculis auxilio Domini ereptus, magno cum gaudio canit, id & i, si paricum veritate, tum experientia canere possent. Omnino non potest quisquam ex animo & verè dicere, quod auxilium ipsius sit in nomine Domini, nisi primum pertineat ad nomē Domini, Domino verè sanctificatos: deinde fide sit diuini nominis præditus: tertio sic viuat, & sic propter gloriam diuini nominis periclitetur, vt auxilium à Domino, in ipsius nomine & petere & sperare & accipere possit. Quis autem adeò stupidus est, qui non videat, quàm non sint ista quorum uis, & omnium, minimè eorum, qui nec agunt quicquā, nec patiuntur, sincerè propter nomen Domini: nec ea sunt fide erga Deum præditi, vt quod dicunt ore, ex corde candido & integro dicant.

PSALMVS CXXV.

ARGVMENTVM.

Canitur hoc Psalmo in genere de sempiterna protectione fidelis populi Dei, qui firma fiducia à Deo pendens, firma & perpetua custodia Dei munitur.

VERS. I. **Q**ui confidunt Domino, erunt sicuti mons Sion, qui non mouetur, in seculum permanet.

2. Hierusalem, montes in circuitu eius: & Dominus in circuitu populi sui, nunc & vsque in seculum.

3. Quoniam non firmabitur sceptrum impietatis super sortem iustorum: ne mittant iusti ad iniquitatem manus suas.

4. Benefac Domine bonis, & ijs qui recti sunt corde suo.

5. Qui verò peruersitate sua declinant, abducat eos Dominus cum operatoribus iniquitatis, pax super Israël.

LECTIO. *Qui confidunt Domino, erunt.*] Ebr. *הבמה: id est, Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non mouebitur, in seculum sedebit.* Græc. & vulg. Lat. *Non commouebit in æternum, qui habitat in Hierusalem.* Hieron. *Immobilis in æternum habitabilis.* Felix: *In æternum habitabit.* Pagn. *In seculum manebit.* Camp. *Erunt sicut mons Sion, qui nunquā tolletur de loco suo.* Chald. *habet In seculum habitabitur.*

VERS. 3. *Quoniam non firmabitur sceptrum.*] Ebr. *כי לא ירצה שבט הרשע: id est, Quoniam non quiescet, vel quietum erit sceptrum impietatis.* Græc. & vulg. Lat. *Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum.* Hieron. *Quia non requiescet virga impietatis.* Sic & Felix, & Iustin. & Pagn. & Camp. *Quare non sinet sedem figere eum, qui sceptrum impietatis tyrannidem exerceat.*

VERS. 5. *Qui verò peruersitate sua declinant.*] Ebr. *החוטאים עקלקליהם: id est, Declinantes autem in obligationes.* Hieron. *Qui autem declinant ad prauitates suas.* Felix: *Declinantes per peruersa eorum.* Camp. *Illos verò, qui alijs præcipitia parant.*

EXPLANATIO. *Qui confidunt Domino.*] Duobus primis versibus Propheta de eo canit, quod qui spem in Dominum collocant, nunquam subuerti poterunt. *Erunt, inquit, illi sicuti mons Sion, qui non mouebitur, in seculum permanet.* Potest hoc bifariam exponi. Aut simpliciter de monte Sion, qui firmitate sua immotus perstat in seculum, vt ad eum modum & ij qui spe firma à Domino pendent, quicquid accidat, immoti & erecti consistant, nec vllis tentationibus subuertantur. Aut de cœlesti Sion, Ecclesia electorum: vt sicut illa inuicta permanet, ita inuicti perseuerent etiam credentes. Verum, meo iudicio, prior expositio, vt simplicior, ita & germanior videtur. Nam posterior rem eandem diuidit, & partem totam comparat. Etenim Ecclesia electorum quid aliud est, quàm Ecclesia confidentium Domino, qui pars illius existunt? Vt idem sit, ac si dicas: *Qui confidunt Domino, erunt sicut Ecclesia confidentium Domino.*

VERS. 2. *Hierusalem, montes in circuitu eius.*] Et hic versus priorem expositionem cõfirmat. Nam, vt in primo firmatam